



Anda ElRey nosso Senhor;
que nenhuma Pessoa de qual-
quer qualidade , e condiçãõ
que seja ouze fahir desta Cor-
te , e suas vizinhanças por
Mar , ou por Terra até se-
gunda ordem , sem se qualificar na presença
do Doutor Estevaõ Pedro de Carvalho De-
sembargador dos Aggravos da Casa da Sup-
plicação morador a Santa Marinha , e no-
meado por Sua Magestade para as ditas qua-
lificaçoens , e expedição dos Passaportes ,
que dellas haõ de resultar ; subpena de se-
rem reconduzidas á sua custa as Pessoas ,
que partirem sem os ditos Passaportes , os
quaes valerãõ sómente para vinte e quatro
horas , e mais naõ ; e de se proceder con-
tra ellas como desobedientes aos mandados
Regios. Paço de Belem a 13 de Dezembro
de 1758.

Sebastiaõ Joseph de Carvalho e Mello.

de 1778
Regios. Deco de Folem a 17 de Dezembro
de 1778.



de 1778
Regios. Deco de Folem a 17 de Dezembro
de 1778.

de 1778
Regios. Deco de Folem a 17 de Dezembro
de 1778.



FORIS

DILECTO FILIO NOSTRO FRANCISCO
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali de Sal-
danha nuncupato.

INTUS

BENEDICTUS PP. XIV.

DILECTE Fili noster salutem, & Apostolicam benedictionem. In specula supremæ Dignitatis, Divina dispositione, meritis licet insufficientibus constituti, inter multiplices rerum, negotiorumque, quibus in hac nostra ingravescenti ætate, & parùm firma valetudine obruimur, curas, ad ea etiam ex debito Pastoralis Officii Nobis commissi solite advigilare debemus, per quæ Religiosa loca, illorumque personæ Divinis mancipatæ obsequiis in pacis, & quietis tranquillitate, ac Regularis vitæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ norma, coadjuvante Domino, perenniter conservari valeant; & quæ his contraria esse noscuntur, per nostræ providentiæ, auctoritatisque Apostolicæ studium pœnitens evellantur, prout personarum, rerum, & locorum qualitate pensata, conspiciamus in Domino salubriter expedire. Cum, sicut pro parte charissimi in Christo Filii nostri Josephi Portugalliæ, & Algarviorum Regis Fidelissimi Nobis expositum fuit, haud levia suborta sint inconvenientia, & abusus in Provincia, seu Provinciis Clericorum Regularium Societatis Jesu, tum Portugalliæ, & Algarviorum, tum Indiarum Orientalium, & Occidentalium existentibus, Dominio ejusdem Josephi Regis subjectis, de quibus omnes ferè Nationes, Regionisque certiores factas esse existimatur propter parvum volumen typis impressum, & tum Nobis, tum venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus distributum: ac propterea ipse Josephus Rex summopere cupiat, ut scandala, quæ ex præmissis deinceps oriri possunt, quam celerrime remove de benignitate, providentiæque Apostolica dignaremur: Nos, qui Societatem prædictam paternis complectimur affectibus, nihil aliud proprium, ac decens in hoc rerum statu esse ducimus, quàm, juxta laudabile Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum institutum, & consuetudinem, unum ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinalibus deputare, & nominare, qui primùm de omnibus, & singulis hujusmodi negotiis accurate expensis plenissimè instructus eadem ad Nos deindè referat, aperiatque, ut postea, matura consideratione adhibita, quidquid statuendum sit, oppor-

tunè, & saluberrime decernamus. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, circumspectionem tuam, de cujus singulari fide, prudentia, integritate, dexteritate, vigilantia, ac Religionis zelo plurimum in Domino confidimus, in Visitatorem Apostolicum, & Reformatorem Clericorum Regularium Societatis Jesu in Regnis, Ditionibus, & Provintiis, etiam Indiarum, memorato Josepho Regi subjectis existentium, tenore præsentium constituimus, & deputamus; ac circumspectioni tuæ, ut cum assistentia unius, seu plurium personarum in Ecclesiastica Dignitate constitutarum, si Seculares fuerint, seu Regularium cujusvis Ordinis, seu Instituti à Sede Apostolica approbati à te ad hujusmodi effectum pro tuo arbitrio eligendæ, & assumendæ, seu eligendarum, & assumendarum, probatæ vitæ, & circa statuta, & mores regulares versatarum, Provinciam, seu Provincias Societatis Jesu prædictæ in Regnis, Dominio, Ditionibus, & Provintiis, etiam Indiarum præfatarum, eidem Josepho Regi, ut præfertur, subjectis existentes, illiusque, seu illarum Domos Professas, seu Novitiatui destinatas, Ecclesias, Collegia quæcumque, Hospitia, & Missiones, aliaque loca quocumque nomine nuncupata à Societate prædicta dependentia, & ad illam spectantia, & pertinentia, etiam exempta, & quocumque Privilegio, ac Indulto suffulta, necnon illorum Superiores, Rectores, Administratores, Clericos Regulares, ceterasque personas quascumque, cujuscumque dignitatis, superioritatis, status, gradus, & conditionis existentes, tam in capite, quam in membris, auctoritate nostra semel visites, & reformes; ac in earundem personarum statum, vitam, mores, ritus, disciplinam, aliamque vivendirationem, tam conjunctim, quam divisim diligenter inquiras; necnon Evangelicæ, & Apostolicæ Doctrinæ, Sacrorumque Canonum, & Generalium Conciliorum Decretis, & Sanctorum Patrum Traditionibus, atque Regulari dictæ Societatis Instituto, & Apostolicis Constitutionibus, præsertim rec. mem. Urbani Pap. VIII. Prædecessoris nostri die 22. Februarii 1633. incipienti: *Ex debito Pastoralis officii, &c.* & à Nobis per quasdam nostras in simili forma Brevis die 20. Decemb. anni 1741. expeditas litteras, quarum initium est: *Immensa Pastorum Principis, &c.* editis inhærendo, & prout occasio, rerumque qualitas, & necessitas exegerit, quæcumque mutatione, correctione, emmendatione, renovatione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoveris, juxta datam tibi à Domino prudentiam corrigas, emmendes, renoves, revoces, ac etiam de novo condas; condita Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non repugnantia confirmes; abusus quoscumque tollas; Regulas, Institutiones, & Ecclesiasticam, Regularemque disciplinam,

ac in primis Divinum Cultum, & obedientiam huic Sanctæ Sedi, & observantiam memoratarum Constitutionum Apostolicarum, si fortasse exciderint, juxta præscriptum dictæ Societatis Institutum modis congruis restituas, & reintegres; si aliquos in aliquo delinquentes repereris, eos juxta canonicas sanctiones punias, & castiges; ipsasque personas, etiam ut præfertur exemptas, ad debitum, & honestum vitæ modum, ac ad statum Sacris Canonibus, & Concilio Tridentino prædictis conformem revoces; ac quidquid statueris, & ordinaveris, absque dilatione, & appellatione, quæ executionem quoquo modo ullatenus impediat, omnino observari facias; quoscumque Domorum, & Collegiorum hujusmodi Rectores, aliosque Ministros, quos, juxta datam tibi à Domino prudentiam, & tibi expediens videbitur, ab eorum respectivè officiis amovendos esse judicaveris, amoveas; ac illos sic amotos, aliosque Clericos Regulares dictæ Societatis de una ad aliam Domum, seu de uno ad aliud Collegium transmittas; inobedientes, & rebelles per sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, suspensionem à Divinis, aliaque opportuna juris, & facti remedia cogas, & compellas: Nos enim tibi præmissa, & quæcumque alia circa Visitationem, & Reformationem, aliaque supra expressa hujusmodi necessaria, & quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, & exequendi, auctoritate præfata, plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impertimur: & si contingat te aliqua legitima de causa detineri, ut Visitationem prædictam per te ipsum extra Civitatem Lisbonensem minime facere valeas, alias Ecclesiasticas personas tibi bene visas cum simili, vel limitanda, aut limitata potestate in tui locum ad Visitationem, & Reformationem habendam, etiam in Indiarum Provinciis præfatis, deputandi facultatem pariter tribuimus. Si quæ autem graviora in hujusmodi Visitatione repereris, ea omnia sub tuo sigillo clausa, ad Nos quamprimum diligentè transmittas, ac Nobis referas, & patefacias quæcumque ad hanc causam pertinere arbitraveris: ex re enim, & tempore consilium capiemus, & effusis lachrymis Omnipotentem Deum clamore valido orabimus, atque obsecrabimur, ut quod inde statuendum sit, matura deliberatione decernamus. Mandantes propterea omnibus, & singulis Superioribus, Ministris, Clericis Regularibus, aliisque personis Provinciæ, seu Provinciarum, Domorum, Collegiorum, aliorumque locorum Societatis Jesu prædictis in præfatis Regnis, Ditionibus, & Provinciis etiam Indiarum ipsi Josepho Regi subjectis, sicut præmittitur, existentibus, sub excommunicationis *late sententiæ* Nobis, & Romanis Pontificibus successoribus nostris reservatæ, præterquã in mortis articulo, ac suspensionis à Divinis, & privationis suorum officiorum, aliisque arbitrio nostro infligendis

dis pœnis *ipso facto incurrendis*, ut tibi, ac personæ, seu personis per te, ut præfertur, deputandæ, seu deputandis, in præmissis omnibus, & singulis prompte pareant, & obediant; tuaque, & illius, seu illarum salubria monita, & mandata humiliter suscipiant, & efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam, sive pœnam, quam ritè tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Decernentes præsentis litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; tibi, & personæ, seu personis nominandæ, seu nominandis plenissime suffragari; & ab illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sedis Apostolicæ Nuntios, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffinire debere; ac irritum, & innane, si secus super his à quoquā quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac Societatis prædictæ, illiusque Domorum, Collegiorum, & aliorum locorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, eorumque superioribus prædictis, & aliis personis præfatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiā derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, vel consistorialiter, & aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus: cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 1. Aprilis 1758. Pontificatus nostri anno decimo octavo. *D. Cardinalis Passioneus.*



B
Biblioteca

28

500

BU
Biblioteca de Santa
284

SC. BU





